

An den Papst gerichtete und zur Vorlage beim Salzburger Erzbischof bestimmte Rechtfertigungsschrift (informatio) des Brixner Domkapitels über das Verhalten der Domherren im Streit zwischen Hz. Sigismund und NuK und die Nichtbeachtung des päpstlichen Interdikts.

Kopie (gleichzeitig): BOZEN, SLA, Cod. 3 (Acta Concordiae) p. 71-73 (= A); ebd., Codex Handlung (ehemals INNSBRUCK, TLA, Cod. 5911) f. 162^v-165^r (= H²); (J. Resch, 18. Jh.): INNSBRUCK, TLA, Cod. 2434 (nicht paginiert).

Unser Text folgt der Abschrift A.

Informatio

Item civitas Brixinensis est sita apud dominia ducum Austrie et ita circumdata eisdem dominiis, quod nullus egredi potest civitatem et dominium ecclesie, quin ad dominia ducum Austrie perveniat.

In eadem civitate Brixinensi ultra ecclesiam kathedralem sunt fundata permulta beneficia, quibus presunt optimi viri et quorum redditus pro maiori parte unacum redditibus in eadem sunt valle, in qua civitas est posita, et pro maiori parte isti redditus sub dominio ducum Austrie consistunt.

Item civitas Brixinensis est locus sine aliqua municione, ita quod homines ducum Austrie circumdantes eandem cotidie devastare, derobare et evertere eandem civitatem possunt.

Item, si observatur interdictum in eadem civitate et in dominiis ducum Austrie non observatur, certum est, quod ecclesia katedralis et omnia beneficia destructa sunt. Cum autem capitulum in nullo peccavit contra rev^m d. n. cardinalem etc. nec clerus eiusdem alicuius mali causa existit, quare speramus, quod minime interdictum ibidem poni debeat.

Etiam, quia non est ibi interdictum iuris³⁾ et dicitur nobis, quod s^{mus} d. noster non velit nisi penas iuris dumtaxat exequi⁴⁾, confidimus, quod s^{tas} sua misericorditer agere velit, ne ista ecclesia et clerus eiusdem destruat et ultimam ruinam sustineat. Nichil dubitat capitulum, si s^{tas} sua demandabit interdictum utique observari, quod ex observantia eadem ita contingit: Primo censuales clericorum nichil solvent, dicentes propter obsequium divinum ista sunt donata. Si nolunt facere divina, cum de iure ibi non est interdictum, nolumus quitquam eis solvere.

Et licet hoc non esset advertendum, sed quid nichil dubitamus, quin omnia ecclesie cleonodia et bona clericorum in predam, direpcionem ac derobacionem venient.

Item etiam timendum, ex quo in aliis ecclesiis katedralibus et aliis locis non observatur interdictum, si contingat ibi observari, princeps de omnibus bonis ad mensam pontificalem spectantibus se intrinittere posset, que cautius sub manibus clericorum persisterent. Et ita timemus finaliter, quod de bonis clericorum ita continget, sicut in Bohemia est actum.⁵⁾ Si laici semel occupabunt, clerici numquam ex integro rehabebunt. Et possent pullulare hereses et divisiones immortales.

Quid itaque canonici ecclesie cathedralis, qui ecclesie sunt per iuramenta obligati, et clerici civitatis eis subiecti ab eisdem defensionem expectant, facere debent? Nonne in re adeo periculosa consulere debent aut possunt Romanum pontificem et s^{tem} suam desuper informare, ut quantum possit, huiusmodi malis occurrere misericorditer dignetur?

Considerare velit s^{mus} d. noster papa, quod in multo periculo et perplexitate capitulum Brixinense fuit pluribus annis, quibus differentia domino vigit, et fatigas et expensas sumptuosas pro pace conficienda habuit et fecit. Et capitulum audet cum veritate dicere et ostendere, quod a die ingressus rev^{mi} d. cardinalis ad ecclesiam semper fecit debitum suum, quemadmodum immediata membra facere debuerint capiti suo, quare ergo multipliciter afflictis propter istam dominorum differentiam afflictio adeo eis et ecclesie periculosa addi deberet.

Recogitare velit s^{mus} d. n., quod capitulum fecit extremam diligenciam, ut rev^{mus} d. cardinalis libertati redderetur. Et sine dubio, nisi respectus fuisset ad capitulum et nisi capitulum se litteris et scriptis taliter obligasset et se fideiussorem constituisset, res aliter fuisset acta.⁶⁾

Propter bona itaque in personam rev^{mi} domini cardinalis per capitulum multipliciter collata ob respectum et honorem apostolice sedis etc. dignetur s^{mus} d. noster, ut premittitur, misericorditer agere et cum pene iuris in dominio ecclesie locum non habeant, a penis aliis abstinere dignetur pro dei misericordia et reverentia et pro conservacione ecclesie sue Brixinensis venerabilissime et antiquissime.

¹⁾ Datierung im Anschluss an den Brief Nr. 6391, dem Nr. 6392 beigelegt wurde.

²⁾ *Über dem Text:* Tenor informacionis ad papam mittende per dominum Salczeburgensem ex parte capituli ad evitandum interdictum.

³⁾ *D.h. ein wegen des Angriffs auf NvK von Rechts wegen verhängtes Interdikt, das nach Auffassung des Domkapitels nur die herzoglichen Territorien treffe; s. dazu v.a. die Argumentation in der Appellation Nr. 6361 (1460 September 21).*

⁴⁾ *Das Domkapitel bezieht sich, trotz der vagen Formulierung, auf die Bulle Nr. 6293 (1460 August 15).*

⁵⁾ *Dies hatte man bereits NvK mit fast identischer Formulierung vorgehalten; s.o. Nr. 6362 Z. 13-15.*

⁶⁾ *Zu dieser Bürgschaft s.o. Nr. 6187, 6194 (1460 April 24/25).*